



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Reverendissimi Ac Illustrissimi Domini Domini Francisci
Fenelonii Archi-Episcopi Cameracensis, Et Quondam Ab
Humanioribus Litteris Serenissimi Ducis Burgundici
Telemachus**

Fénelon, François de Salignac de La Mothe

Francofurti, 1744

VD18 11007532

Lib. V. Argumentum. Telemachi in Cretam ingressus. Fatum Idomenei
Regis Cretæ. Comitia Cretensium pro Rege eligendo. Victoriæ Telemachi
in certaminibus pro Cretensi Corona. Postulatio eius in Regem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69283](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69283)

monstra dicimus, attractis, deinde refusis per spiramenta narium aquis, æstum faciebant pelago; & celeritate, quam vix credebam capere posse tantam magnitudinem, è cavernis suis, imo impressis fundo, eluctata Deam suam mirabantur.

TELEMACHUS.

LIBER V.

HOc spectaculo suspensos Cretæ iuga procul adverterunt. Laborabat adhuc incertus oculus, ut à nubibus pelagóque ea dignosceret. Paululum proVectis apices suos ad reliquorum invidiam mons Ida nudavit; quos, velut cervus ramosis cornibus insigniter armatus iustæque ætatis hinnulorum, qui sequuntur, seriem altitudine superat. Leniter deinde se nobis Insulæ ora amphitheatri in modum applicuit, iam certioribus, quæ paterent videnda. Cyprus inculta & expers humanæ industriæ videbatur; Creta autem fertili solo, diversorum præterea fructuum copiâ solliciti cultus ostentabat argumenta.

Pagi firmiter extructi, vici oppidorum specie, urbes magnificentia singulari; omnium magna frequentia. Agri aratoris manu diligenter signati: fulci non leviter impressi. Fruticum & verprium impedimenta, herbásque inutiles felix gleba ignorat.

Quàm volupe nobis erat aspicere valles profundas, boum mugitibus resonantes, qui pingui gramine secundum aquarum manantium crepidines vescebantur! aspicere vervecum greges ex adductis multa declivitate collibus pabuli causâ

F

pen-

pendentes! fluctuabant immensa agrorum æquora flaventibus aristis, quas velut opimum munus iamiam messorum falcibus ingerebat frugum Parens. Colliculos pampini tegebant racemique, primo livore ad iucunditatem mitescentes. Erat hoc dulcissimum & à libero Patre paratum collecturis donum, atque ad humanas curas ægritudinésque pharmacum.

Se aliàs in Creta fuisse, Mentor dicebat; nihil celans eorum, quæ de ipsa vel auditu hauserat, vel experientiâ. Hæc Insula, inquit, exterarum gentium admiratione & centum, quibus occupatur, urbibus celebris, nihil alimentis incolaram, quamquam pœne innumerabilium, laborat. Scilicet numquam terra fraudat colentium industriam, neque illius senescit fœcunditas: augetur, quantum multitudo hominum, tantum abundantia rerum, modò non nullius laboris illi sint; & sine causa se aut æmulationibus insectantur, aut invidia. Bè-nigna mater tellus est, cuius liberalitatem numquam superat liberorum frequentia, nisi egere mereantur ob desidiam. Ambitio, avaritiâque una scatebra est & origo malorum, quæ mortalibus incumbunt. Nihil est, ad quod non excurrat humana cupiditas: aucupatur superflua, atque ita necessariis quoque exuitur; quæ si nihil requireret præter simplex vitæ genus, eaque, quibus in vita carere haud licet, ubique beatâ rerum copia, liquidissimo gaudio, suavissimæ concordia pacisque fiducia redundaret.

Id Minoem, ut erat prudentia & bonitate summa, haud fefellit. Legum, quas condidit, fructus est, quidquid oculos vestros subibit admiratione dignum

gnum. Liberos educandi ratio, quam itidem ab eo Cretenses accepere, sanitatem corporibus roburque tribuit. A teneris assuescunt simplici sobriaque vitæ; amoventur ab otio: cumque ex voluptatibus credatur certa corporis ruina animique existere, non commendantur oblectationes, nisi quæ virtutem acuant, robur subministrent invictum, gloriæque subsidium. Neque soli laudem fortitudinis capiunt, qui obire non timent per belli discrimina; sed & illi celebrantur, qui opes nimias spernunt, & voluptates calcant. Ingratus, fectus, & avarus animus (ter nefandum monstrum & aliàs per orbem ob impunitatis indulgentiam licentiùs grassatum) his gentibus abominationi & numquam sine supplicio est.

Ad luxum quod attinet, mollitiemque: ignota hæc sunt Cretensibus flagitia, ideoque Censorum haud fatigant operam. A labore tam vacui non sunt, quam à ditescendi voluntate alieni; creduntque pingue esse laborum suorum præmium, posse vitam modestè & naturæ convenienter exigere, cum nihil sit, sine quo ita tranquillè commodèque viventes esse non queant. Non ibi permittitur lauta supellex, non ornatus vestium splendidior, non delicatè opipareque adornata convivia. Auro illinere ædium interiora nefas. Vestiuntur molli lana, decenter, quanquam non variè, non acupicta. Moderatè sobrièque convivantur. Ferculorum caput est panis cibarius; missus præcipuos arborum fœtus constituunt, ad hoc velut sponte ab ipsis oblatis. Additur lac, quod greges ministrant. Qui largissimè indulgent genio, obsoniis utuntur crassis, durioribusque & ita apparatus, ut

non blandiantur gulæ. Aliud frugalis parsimoniae argumentum est, quod magnopere cavent, ne, quibus abundant, armentorum optima cum agriculturæ promovendæ detrimento mensæ absumant. Ædes non ornatae, sed nitidæ, commodæ, amœnæ; neque id, quasi artem, quæ pompas iuvat struendô magnifica, ignorent (habent enim machinatores suos, architectôsque) sed quod solis Deorum immortalium templis reservetur. Quippe arbitrantur sine Deorum iniuria domos haberi non posse, quibûs recipere Deos sine rubore queant. Sanitas, robur, fortitudo, pax, concordia propinquorum, communis libertas, copia eorum, quibûs indigent, & eorum, quibus carere possunt, contemptus, bona Cretensium sunt, quibûs maximè delectantur. Accedit præter assuetudinem laboris, horrorémque otii studium virtutis, & in leges iustissimôsque Deos reverentia.

Porro fundamentum auctoritatis & potentia (quæ regibus tribuuntur) me cupientem edoceri Mentor admonuit: Regem quidem summo cum imperio præesse populis, legibus tamen penitus subesse. Penes ipsum est (inquit) benefaciendi summum arbitrium, malefaciendi nullum. Solent peregrinae curæ mandari pignora; at horum pretiosissima sunt populi, quos dum regi committit legum conditio, simul ad patris officium exhibendum adstringit, quo levare subditum oportet. Ut homo unicus adiumentô sapientia sobriôque potestatis Regiæ usu instrumentum sit, quo nihil non optabile consequantur tot hominum, quibus præest, millia, leges iubent; tantum abest, ut velint miseriâ tot gentium serviendique vilitate,

ad

ad quam abiiciuntur, ad palpandum unius hominis fastum mollitiemque abuti. Regalis dignitas communi hominum forte potior haud est, præterquam in iis, quæ vel ad levanda eius onera, vel ad excitandam conservandamque eius utpote vindicis legum, reverentiam oppidò requiruntur. Ad Regem denique pertinet intemperantiam, molliem, arrogantiamque, & quidquid ab insolentia elationeque diversum non est vehementium, quam reliquum hominum genus aspernari. Non opum affluentiam, non artificum relaxandi sese, præstare suos debet, sed ubertate sapientiæ, virtutis, gloriæ. Foris defendet patriam, educet copias; domi æquitatis exercitiò populis probitatem, sapientiam cum felicitate conferet. Regnum à Diis immortalibus non suâ ipsius gratiâ, sed populi, cui dominatur, accepit. Subditis tempus, curam, amorem debet; quantum sui obliviscitur, bono Reipublicæ, tantum nec amplius dignitatis suæ meretur usurpare. Certè Minos (gentis quam stirpis suæ scienter amantior) noluit successorem ex iis, quos genuit, nisi qui præceptis suis conformem in imperio modum teneret. Atque hac sapientia adèò potentes, adèò felices Cretenses reddidit. Hac modestia continentiamque induxit caliginem luculentissimæ victorum gloriæ, incrementum magnitudinis seu vanitatis suæ ex popularibus servitiis captantium. Et ne multa: Dii Minois iustitiam supremò in Inferorum Urnam arbitriò compensarunt.

Hæc loquente Mentore ad Insulam appulsum fuit, itumque ad Labyrinthum invitante fama. Dædalei ingenii opus est, Labyrinthi in Ægypto à nobis visi æmulum. Quod dum ob rariora mo-

numenta perlustramus diligentius, populum in maritima ora diffusum aspeximus, in propinquum crepidini locum turmatim concurrentem. Causam sollicitæ festinationis percontantibus Nauficrates quidam & ipse Cretensis narravit sequentia.

Idomeneus Deucalionis filius & ex Minoë nepos ceteris Græciæ Principibus adiunctus ad vindicandum Helenæ raptum regnô suô excesserat. Excissis Pergamis rediturus ad suos pependit vela. At ea vis tempestatis perculit infaustum, ut & qui moderabatur navigium eius, & qui aliàs rerum maritimarum non ignari vehebantur unà, haud ambigerent naufragium futurum. Unus omnium oculis obversabatur interitus. Patebant immensi pelagi deiectus, paratum intuentibus sepulchrum. Deslebatur communi planctu ad singulos perti-nens calamitas, ne spe quidem relicta amarissimæ quietis, qua exhibito sepulchri honore per Stygem evecti manes perfruuntur. Tantum & commune periculum miseratus Idomeneus sublatis oculis manibûsque Neptuni opem inclamans deprecabatur: o Dive, cuius imperium reveretur pelagus, audi ad Numen tuum suspirantem miseriam! si mihi concesseris, ut Cretam isto ex periculo salvus aspiciam, primum, quod in ea caput aspexero, hac dextera maectatum accipies.

Interea puer, quem in spem regni Idomeneus genuerat, urgente salutandi Patris desiderio, in occursum eius amplexûsque festinat; miserabiliter ignorans, se quot ad vitæ suæ auctorem, tot ad mortem passibûs contendere. Idomeneus portum incolumis intrat, præstitum ad voventis gemitus

mitus auxilium Neptuno prolixissimè gratulatur. At protinus, quàm promississet fatalia, sentire cœpit. Movebat divinatio animi malum præfagientis vehementem temerè suscepti voti pœnitentiam. Horrebat pervenire ad suos, verebatúrque rursus aspicere, quod ipsi in orbe charissimum. Verùm truculenta Nemesis, cuius inexorabile Numen tum in mortalium, tum maximè in Regii tumoris supplicia acerrimè vigilat, singulari arcanoque impetu Regem protrusit ad littus. Appellitur: ægrè ad prospectum Rex amolitur palpebras: filium aspicit: retrahit pedem attonitus; aliud caput requirunt palpitantes oculi, quod minùs charum, quod in victimam sit. At errorem inutiliter quærit. Involat in collum filius, stupétqne planè alienum ab ignibus animi sui patrem; quippe videbat eum lacrimis diffluere.

Unde tristitia, dilecte genitor! exclamat; post diuturnam aded absentiam cum dulcissimo nati tui solatio huc piger reverti? quid commisi? oculos avertis? itane aspicere times, quem lumen vocabas tuum? Tacuit mœrore penitus & miserimè oppressus pater. Ad ultimum post gravissimos gemitus: ah quid vovi, inquit, Neptune, tibi! quanto & quàm amaro pretio redimendum naufragium misero genitori! trade me infanis fluctibus: impinge inmitibus scopulis, quibus allidendus eram, & abrumpenda fatorum meorum infinita calamitas; vivere natum sine! Crudele numen! habe hanc animam, vivere natum sine! Stricto inter hæc verba acinacè se interfecturus videbatur, nisi, qui circumstiterant, cohibuissent vibrantem manum. Aderat inter eos, qui obviam Regi

procefferant, interpres voluntatis Deorum Sophronymus senior. Ille tunc magnopere affirmabat, Neptuno satisfieri posse salvo puero. Votum tuum, senili gravitate inquit, sine consilio fuit. Nolunt Dii crudelitate coli. Errorem, quo te religio obstrinxit inconsultæ sponsonis, cave augeas sacrilegiô. Augeres autem, si, quod extinguit naturæ leges, votum exsolveres. Neptuno candidissimâ Hecatombe supplica. Aræ floribus superbiant, natentque victimarum cruore. Sanguinis tui, quem nefas effundere, innocuis vaporibus odores fragrantissimos substitue.

Rex demisso capite audiebat interpretem. Vocem non reddidit. Oculi furore succensi; vultus pallore deformatus, atque ex perpetua coloris varietate horridior: artus omnes succutiebat iam non occultus pavor. Ad quæ puer: En me, genitor! per vim satisfacere naturæ debito non recusat filius, ut fluctuum potenti satisfiat Deo. Noli habere offensum; optata mihi mors, ex qua tu vives. Feri, pater, nec te puta genuisse tui ex recusata morte indignum.

Tunc Idomeneus alienata penitus mente, & quasi furiarum stimulis præceps, attonitis omnibus, qui diligentius eum aspiciebant, filii pectus gladiô haurit; eumque infectum sanguine, & cruentis vaporibus exæstantem in sua viscera conatur reducere: cum iterum à circumstantibus cohibetur. Corruit filiulus, cruore suo volutandus; offunditur oculis lethalis caligo, quos dum semel atque iterum aperit ad accipiendam lucem, vix acceptam eam perferre non valuit. Dixissetis formosum lilium, quod amœnissimo circumfusi agri
specta-

ſpectaculo eminens, vomere ſuccisîs radicibûs, vigore deſtitutum languet, & erectam nivium ſuarum pompam deponit humi. Nec candor eius mox deſluit, nec quæ ad oblectationem intuentium fulget, ſpecies : alimentô tamen arcetur & caret vitâ. Haud ſecus Idomenei filius recentis floſculi tenerrimique ritu, annis virentibûs ſuffecturus ſæculo, exſtinguitur. Ceterùm patrem doloris magnitudo ſenſu privârat, nec, quo conſiſteret loco, quid ageret, quid agere oporteret, patiebatur cognoscere. Contendit in urbem; percontatur de filio.

At populus miſericordiâ triſtiſſimam regii ſanguinis vicem excepit, paterni facinoris atrocitatem vehementer deteſtatus. Juſtâ Deorum irâ furiis traditum Regem palàm vociferabantur. Furor arma miniſtrabat ſtipites, ſaxâque; infaniebant vipereô odiô diſcordes animi. Gens illa è Iovis quaſi profeminata cerebro, Cretenſes, obliti ſapientiæ tantopere eum in diem amata, Minois Oraculi quondam ſui poſteritatem (Idomeneum) abiiciunt, eiurant. Amicis non ſuppetebat liberandi Regis conſilium, niſi quòd ereptum infanienti vulgo reducerent in navem, unâque impoſiti beneficiô ſecundæ navigationis abirent ex furentium oculis. Idomeneus redditus ſibi, gratias agere cœpit, quod ſubduxiffent ſeſe terris, filii ſui cruore paternæque manus ſlagitio infectis : nunquam futurum fuiſſe, ut in inſula tanti facinoris conſcia perſeveraret. Hesperiam nunc petunt, novum Imperium apud Salentinos condituri.

Interea Cretenſes Rege deſtituti, cui pareant; eligere decreverunt incorruptæ legum integritati

provisurum. Eligendi autem modum hunc facient. Convenerunt huc proceres urbium, quas centum numeramus. Iam datum sacrificiis initium; convocatique ex finitimis gentibus, qui sapientissimi habentur, ad ferendum iudicium de prudentia eorum, qui apti videbuntur capessendo Imperio. Sollenibus quoque ludis, (qui & ipsi accurati iam sunt) committentur Regales candidati. Scilicet quem & follertiâ ingenii, & exercitatione corporis iudicaverint reliquis potiore, Regis insignia victoriæ præmium auferet. Regem desideramus, cuius corpus robustum & habile sit, animus acutus ad sublimia, probusque. Eam ob causam omnes exteri huc evocantur.

Hæc nobis monstra videbantur. Quibus recensitis Nausicrates: agite, inquit, hospites! & vobis hæc edicta comitia putate. Cerramine persequendum est præmium, huius Imperii insignia; quæ, si cui vestrum palmam superi decreverint, feret. Sequebamur monentem non desiderio victoriæ, sed studio rei tam novæ, tam inusitatæ.

Amplissimus locus erat, frequenti sylva clausus, ad quem eo duce venimus. Circum imitabatur, cuius medium arenis parsum pugnatos expectabat. Capacissimum amphitheatrum se circumfuderat, pubescenti herba spectatores commodè expecturum. Omnis honos accedentibus nobis est habitus. Quippe Cretensibus non alia in orbe natio liberaliùs sanctiùsve hospitalitatem colit. Oblata protinus sedes est, & veniendi in certamen copia. Mentor excusatione ætatis utebatur; Hazæel, quòd deterius valeret. Mihi vigor ætatis, roburque præripiebat excusandi locum. Furtivo
tamen

tamen obrutu explorabam Mentoris animum; compertoque, ipso volente me certaturum, haud reluctabar honorificè compellantibus. Itaque detractis vestibûs, dulci nitentique oleo inundatus luctatoribus misceor. Leniori fremitu passim comitia fervebant: hunc esse Ulyssis filium; venisse, ut de palma contenderet. Agnoscebârque non paucis Cretensium, qui mē puerô fuerunt in Ithaca.

Primum certaminis genus luctatorum fuit; in quo Rhodius quidam annos quinque admodum & triginta natus omnes, occurrere sibi ausos, deiecit, Nihil dum ei ex iuvenili vigore decesserat. Brachia fideli nervorum robore pertinaciùs firmata & habitiora; modica iactatione ducti per corpus muscoli exstabant. Agilitas membrorum ea fuit, ut potuerint quemcumque impetum animi sequi. Videbar aspicienti cum fastu indignus, quem vinceret; movitque ætatis meæ infirmitas, ut referre pedem inciperet. Ego verò me in audacissimi hominis conspectum dedi. Facto imperu, mutuis complexibus ad exanimationem premimur: humeri humeris oppositi, pes pedi. Extendebantur nervi validiùs nitentium: hærebant tortuosè conferta brachia, in id incumbente utriusque conatu, ut adversarium quisque suum moliretur humo. Iam in dextram detorquendo, iam versando in sinistram pervicaciter contendebat me occupare: cùm hæc tentante vi tanta impulsi, ut contriti lumbi recederent, ipse supino lapsu præceps me unà abriperet in casum. Nitebatur extremis viribus amoliri incumbentem sibi. Sed impeditus meâ validioris operâ humi affixus hæsit. Tum secutus populi plausus: Victoria Ulyssis filio.

filio.

filio. Ego pudore suffusum Rhodium allevavi. Difficilior mihi pugna cæstum fuit. Ea clarus haberi cœperat bene nummati civis ex Samo filius. Iam reliqui arenâ excefferant. Unus ego supereram, à quo vinci posse credebatur. Certaminis initium iniquissimè me habuit: quippe capiti primùm, deinde ventriculo telum tam validè crebròque intorsit, ut remisso è pulmonibus sanguine densa nubes sese palpitantibus oculis offuderit. Vacillabam. Ille instare; ego prohiberi spiritu. Mentoris vox me mihi reddidit. Interrogabat enim castigantis ritu: num manum daret ex Ulyssè genitus! quibus ego & irâ validior, sapius frustrabar instantis manum, aliàs futuram exitio. Simul atque vano ictu lacertos paulò longiùs adversarius protendebat, occupavi ita deflectentem. Iamque cæstum, ut vi graviori incumberet, reduxeram: eùm percutiendus retrò abit, malo suo. Namque dum promptiùs quàm cautiùs ferientem effugit, corporis apte librandi facultate destitutus ipse occasionem præbuit prosternendi sese. Prostravi, porrexique manum in iacentis auxilium. At recusatâ alienâ operâ ipse sudore ac sanguine perfusum corpus erexit, in certamen, quanquam succubuisse eum mirabiliter puduit, redire non ausus.

Mox ad equestres ludos ventum, bigis que certare libuit, quæ dabantur forte. Deterrima mihi obtigerat, quippe reliquis multò inferior tam firmitate rotarum, quàm equorum robore. Apertis carceribus procurrentes secuta pulverea nubes, quæ prospectum inhibuit. Ruentibus ceteris non sine consilio tardiora mihi imperabam cursus initia.

Con-

Continuò Lacedæmonius quidam, nondum pro-
 vecta ætate, videbatur primus ad metam fore.
 Crantorem dixerant, cuius tergum Policletes Cre-
 tentis premebat. Hippomachus sanguine iunge-
 batur Idomeneo. Hic spei potiundi regnum, quo
 nuper cognatus exciderat, imminens, laxissimis ha-
 benis abripiebatur; toto corpore fluitantibus
 equorum multo sudore fumantium iubis incum-
 bens, tantòque impetu præcipitato cursu, ut stare
 rotas eius credidisses, pennisque aquilæ altiora
 subeuntis pares, quarum motum celat pernitas.
 His velut exemplis ferociores equi, quibûs ego
 vehebar, concitari, in cursum effundi, maximam
 partem & multo post se intervallo relinquere,
 quos ergastula simul emiserant. Hippomachus ex
 Idomenei cognatione (ut dixi) currum rapiebat
 violentiùs; factumque, ut sonipes, quem habebat
 firmissimum, fallente vestigio præceps in terram,
 dominum suum à spe maxima deiecerit.

Policletes depressa cervice in iugales, ideòque
 leviùs hærente corpore pronior in lapsum, gravio-
 ri existente impetu excussus est, amissisque habenis
 vitam tamen non amisit. Ab uno iam Crantore,
 quod timerem, supererat. Qui cum me cursus
 suos proximè æquaturum cum multa molestia
 cerneret, æmulationis fervore concitator, modò
 Deorum inclamabat opem: liberalissimè se litatu-
 rum ipsis; modò increpitos equos festinationis
 admonuit. Verebatur enim, ne ipsum salvûs stadîi
 limitibûs prætervectus, equis ex moderato primùm
 cursu adhuc valentioribûs, celeritate præverterem.
 Quod cum expedito itinete impedire haud posset,
 adnitendum ipsi erat, ut bigam æmuli interciperet.

Itaque

Itaque statuit temerariò consilio, currum suum ad terminos stadii (terræ immissi caudices erant) affigere. Iámque rota una dissilierat. Ego id unum agebam, ut quamprimum deflectendò nihil moræ ab adversario iam deterius vecto acciperem. Et sanè momentum abierat, cùm æmulum suum cum indignatione vidit in meta consistere. Repetebatur applausus: Victoria Ulysses filio, quem Dii nobis imperare voluerunt.

Sylva erat extra conspectum profanorum hominum, multo senio & religione venerabilis. In eam tunc ab illustrissimis sapientissimisque gentis eius ducimur. Coiverant huc viri ætate suspicendi, quos populo iudices, defensores legibus Minos dederat. Præter me illósque, qui dimicaverant, nemo consilio huic interesse vel iussus vel permissus est. Protinus à sapientibus aperiuntur libri, in quos leges suas Minos retulerat. Accessi, sensíque animum meum pudore & reverentia impleri ob præsentiam virorum tanta ætate, tantæque prudentiâ, ne vitæ longioris quidem vitio immunitâ.

Suis quisque locis, sicut ex ordine confederant, perseverabant sine motu. Commendabat aliorum auctoritatem canities, aliorum, quòd eos canis proVectiores anni nudaverant. Suavem quamdam & tranquillam prudentiam oris ostentabat gravitas. Non proniores in sermonem erant, non largi verborum ultrà, quàm quæ proferre decreverant. Ortâ controversiâ dissentientes suam quisque tam modestè propugnabat sententiam, ut ad alios vix manaret controversiæ dissensusve indicium. Nihil erat, quod minùs acriter intelligerent, diuturna

retro

retrò actorum experientia laborisque consuetudine eruditi ad aptè sentiendum. Adde tranquillitatem spiritus, libertatèmq; ab infanis atque effrænatis cupiditatibus, quas in iuvenibus magistri damnant. Nihil agebatur ab iis, cui repugnabat ratio. Virtutem, quam colebant, adè utiliter corroboraverant vetustate, ut in promptu ipsis esset, quæ ex rationis obedientia nascitur, vera illustrique & ingenuo animo digna oblectatio. Summa cum admiratione contemplatus hæc ornamenta venerandæ senectutis, optabam demi futuris annis meis, ut licuisset tam pretiosam senilium annorum periodum, quam vivebant hi viri, quamprimum ingredi. Calamitosa mihi videbantur iuventutis tempora, quòd numquam esset sine cæco impetu, numquam cum virtute tam perspicaci, tam tranquilla.

Erat, qui in hoc venerabili confessu emineret. Ille ergo tabulas legum revolvebat, quas in prægrande volumen redactas cistula aurea cum odoribus plerumque servabat. Seniores labia venerabundi admovebant libro; profitenturque, post supremos legum Auctores Deos hominibus nihil sanctius habendum esse, quàm leges, quarum finis hominum probitas, sapientia, felicitas; nec ipsos adè oportere exleges esse, qui idè manibus leges versant, ut imperent. Ceterùm princeps consilii tres quæstiones posuit, ad Minois placita discutiendas.

Quærebat primò, quis omnium maximè habendus sit liber? alii, Regem dicebant esse, qui nullius timere arbitrium debeat, & timeri à devictis hostibus. Divitem alii esse contendebant, cuius
nulla

nulla ex parte vana essent desideria. Quidam hominem aiebant, qui tori expers semper apud exterarum gentes easque diversas viveret, neque ulla religione legum eorum, apud quos esset, adstringeretur. Fuere, qui libertatis prerogativam deferrent Barbaris, ut qui venatu victitantes in sylvis, nulla cura legum premerentur. Neque dubitabant aliqui, bene responsuros afferendo, ante alios censendum liberum, qui libertate donatus pileo nunc tegetet paulo ante perforatam auriculam; quippe servitutis asperitate dulcedinem obtentae libertatis plurimum augeri. Ultimi moribundum esse credebant; quod fata liberarent ab omnibus, quae hominem liberum esse non sinerent, nec mortuo posset imperari.

Dicendam ex ordine sententiam facile expedii, probe memor eius, quod non semel ex Mentore perceperam. Maximè liber est, aiebam, qui nec in ipsa servitute servitutum vivit. Nulla regio, nullum vitae genus, à nobis quod colitur, obest libertati, si uni timeantur Superi. Paucis: verè liber est, qui superato omni metu, cupiditateque solis Superis & rationi paret. Senioribus mutuo aspectu ob hoc responsum defixis, primo simplex risus, deinde comperto, me nihil à Minois effato alienum respondisse, etiam admiratio oborta fuit.

Altera quaestio his proponebatur verbis: Quis mortalium infelicissimus? responsum est, quantum ad rem cuique videbatur suggerere animus. Quidam infelicitatem ponebat in indigentia fortunarum, valetudinis, dignitatis; alius in amicorum penuria. Contra asseverabant nonnulli, minimè felicem ex mortalibus esse, qui edidisset liberos
ingra-

ingratos & degeneres. Ex Lesbo sapiens aderat, qui rogantibus peracutè respondit: infelicissimus est, qui se credit infelicissimum. Neque enim potiùs infelices sumus ex iis, quæ patimur; quàm ex iniquo animo, quo aggravantur, quæ patimur. Ab omni concilio his verbis, rationi planè consentaneis, applausum, assensumque est; credebântque haud futurum, qui saniora respondeat. Ego verò rogatus, quid mihi videretur? conformem documentis, quæ Mentor inculcaverat, sententiam ordiebar: Infelicissimus mortalium est Rex, qui felicitatem metitur suam ex aliorum miseria, quam infert. Cæcus, ideòque bis infelix est: namque infelicitatem suam non agnoscit: itaque ea se liberare non valet; deinde etiam se felicem existimat, quamdiu se infelicissimum esse ignorat: itaque ignorare quoque adnititur, & ne non ignoret, metuit. Accessuris eum, qui verum doceant, erroris admoneant, immobiles adulatorum cunei se obiciunt. Quot cupiditates, tot carnifices habet, & imprudentissimos magistròs regalis officii. Numquam benefaciendi dulcedinem, numquam sinceræ virtutis suavitatem sentiet. Infelix & meritò infelix est: novatur quotidianis incrementis eius infelicitas: exitio suo festinanter obvium expectant Deorum supplicia, perpetuò ad dedecus & ignominiam stolidi imperii infligenda. Lesbio Sapiente meliora me respondisse tota fatebatur concio, Minoisque sensum assecutum Seniores pronuntiabant.

Tertiò demum quærebatur: plurisne æstimandus Rex bello auctior, invictusque; an verò armorum rudis, peritus tamen pacificis temporibus

coërcendi suos utili atque ad sapientiæ leges exacto imperio? Plerorúmque ea vox fuit, præferendum, qui se bello præstaret invictum. Quid cum Rege, aiebant, qui pacatis temporibus belle scit regere, sed orto bello turbatus nescit sua defendere? Ipse hostibus inferior, subditi mancipia erunt. Alii contra pacificum præferebant, ut qui bellum timeret, & prævertere consilio posset. His rursus contraria sentientes alii dicebant, Regem bellatorem finésque imperii amplificandi studiosum tum ad suam, tum ad gloriam gentis suæ incubiturum; in armis fore, dum vicerint sui. At pacifico rege, subditum marcescere otio & perniciosâ ignaviâ. Denique tertio, quid sentirem? iussus pronuntiare, sequentia reposui:

Media tantùm parte Rex est, qui non nisi aut pacis aut belli negotia didicit tractare; nec tam pacatum quàm armis infestatum tenere imperium. Quodsi verò Regem unicè præliis deditum comparare libet cum Rege sectante sapientiæ studium, & pugnandi quidem arte destituto, ceterùm habente viros idoneos, per quos agat, quod exigit improvisa belli necessitas: hunc ego sanè pugnatore illi anteponendum existimo. Pugna animus eum armis semper immineat ad propagandos tum ditionis tum gloriæ suæ terminos, subditum in casum trahet. Quid iuvat habere populorum victorem Regem, si subditos premat devictorum calamitas? diuturna bella multa licentia consequitur, multa confusio, à qua intacti neque ipsi adeò victores manent. Quanta impensarum æstimatione Phryges expugnanimus? decennium integrum & amplius acephala fuit & sine regibus Græcia.

cia. Leges, cultusque agrorum & artium flamma belli absumit. Vel optimi principes, quamdiu militiae vacant, vehementissimè (quamquam inviti) peccant, dum videlicet nec possunt obsistere militari licentiae quantumlibet effusae, nec carere improborum auxiliò. Iam facinora quis numeret, armis vacantibus punienda, quorum tamen licentiam remuneratur bellorum confusio. Auctoritas domini, qui dimicandi studiò tenetur, subditorum exaggerat onera. Qui regna, qui urbes expugnant, ambitione ebrii ferociunt, neque suis, quam victis minori detrimento existunt. Ad colendam pacem minùs idoneus nescit, penitus oppresso hoste, fructum victoriae largiri subditis, quorum impendio vicit. Comparandus homini est, qui agros suos ab affinium violentia tutatus, rure adversarium per nefas exuit, inde tamen obcolendi serendique inscitiam messem non colligit. Videtur vivere, non ut felicitati gentis suae prospiciat, sed destruendò, rapiendò, turbandò exitium consciscat.

Venio ad eum, qui res pacatè gerit. Armis grandia non quærit; non subigit aliena imperia, non urbes. Facultas solertiæque deest; neque tam perversè avarus genius eius est, ut, quos alteri subiecit æquitas, domare populos cum perturbatione gentis suae velit. At neque ipsi deest, quieto imperio si omnino sufficiat, quod ad securitatem subditorum sit opus. Tenax recti & lenis est, nec gravis accolis; subducit discordiæ cum confinibus semen. Ex religione fœderum, quæ observat, sociis nec odio, nec timori est, nec ullo modo suspectus; imò charus, dignusque, cui maxime planèque

confidant. Sed ecce urantur rege accola iniquo, feroci, ambitioso: tum verò principes ceteri, quorum regnis coniungitur, ex æmulationis capite diffidentes ad arma quàm colendam pacem proniori, ansam capient allatò innocentiae præfidiò iniquioris audaciam deprimendi. Regem tanta probitate, fide, lenitate arbitrum sibi deposcent circumiecti populi; dùmque alter suscipiendis inimicitis iusto confidentior, bellique audacior ceterorum incurrit odium, atque ex firma, quam sibi reliqui præstant, amicitia, etiam periculum: ille pater tutorque regum honorificentissimo utique nomine compellatur. Atque hæc quidem foris ipsi accedunt comoda. Maiora domi accipit. Cùm pacifico imperio sufficiat, pono, ex optimarum legum observantia sufficere. Itaque proscribit, damnatque luxum, & quidquid artium ad nutriendas voluptates, promovet autem, quidquid ad vitæ subsidia non supervacanea videtur conducere. Quo in genere primus locus agriculturæ dandus. Hanc pacis amans rex summo opere commendabit subditis, utpote quæ rerum, quibus indigent, copiam accumulatur. Atque ipsis quidem, cum patientes laboris, & simplicibus moribus tenui perfungantur victu, alimenta, quæ in agris nascuntur, facile ad sustentandam vitam sufficiunt; unde immensa quædam augendæ incolarum frequentiae existit fecunditas. Quo fit, ut huius conditionis regnum abundet innumerabili multitudine sanorum hominum, robustorumque & alacritate vigentium, qui & virtutis exercitio firmati, & dulcedinem ignavæ delicatæque vitæ exosi, & fatis, cùm poscit ratio, sponte obvii excidere vita malunt, quàm libertate, quæ

qua fruuntur rege sapientiæ præceptis probè instructo, nec imperante, nisi ut rationi obediat. Dabo nunc, ex proximis quemdam, avidiorem pugnae, huic genti moliri bellum. Fieri potest, ut minùs peritam inveniat disponendi castra aciem, machinas, quibus instamus oppidis. Nihilominus sentiet eam vinci non posse, quòd multitudine innumerabilis, quòd inexhausta fortitudine, quòd laborum, molestiarum, inopiae patiens, quòd manu prompta strenuaque sit ac dedita virtuti, fortis casibus numquam non superiori. Demus etiam regem ipsum decernere non posse ob rei militaris tenuiorem peritiam. At habebit idoneos, quibus noverit decernendi negotium sine auctoritatis suae detrimento committere. Accedent interim sociorum quoque auxilia. Malent subditi ad umbras, quàm sub potestatem domini omnia per vim, per nefas agentis mitti. Quid? quòd ipsi pugnabunt pro rege tam pio, tam iusto, Superi. Itaque cum tot tantaque sint, quibus pericula eius subleventur, subsidia: concludo, regi pacis quietisque observanti plurimum quidem ex ornamentis dignitatis suae armorum ruditatem decerpere; quippe numquam ex hostibus (quod regalium munerum ferè princeps est) triumphaturo. Ceterùm addo, illum satis aestimari non posse præ expugnatore regnorum urbiùmque, nihil pacato imperio, sed armis unis sufficiente.

Erant sat multi in consilio, quibus displicebant, quæ senseram. Neque istud me latuit. Multorum videlicet oculos facta illustria (in quibus victoriæ & bello comparata referuntur) perstringunt adeò, ut, quod humile, quod tranquillum, firmumque,

putà pacem & disciplinam populi, habeant in postremis. Verùm me sensisse cum Minoë, pronuntiarum à Senioribus.

Qui inter eos eminebat, elata tunc voce: Video, inquit, Divinam atque in insula nostra decantatam fortem impleri. Minoi quippe ex Diis, quos consultebat, intelligere volenti, quamdiu vi legum, quas modò condiderat, Cretæ essent præfuturi ex suis, responsum est: præfuturos, donec legum istarum cultor aliunde gentium advenerit. In hunc usque diem metus erat, occupatum iri ab alienigena insulam. At quid Oraculum sibi voluerit, Idomenei fato sapientiâque ex Ulyssè geniti, in intimos legum nostrarum sensus admissi, edocemur. Quin abiicimus moram, & altiori Numine destinato nobis Regi Coronam imponimus?

TELEMACHUS.

LIBER VI.

NEc mora: Soluta consilio ex ambitu sacri nemoris proceditur. Primas tenebat, qui me educens manu, populo, longiore mora sententiæ iam fatigato, enuntiat, ceteros mihi cessisse acumine respondendi. Finito hoc nuntio incerti mox fremitus tota concione oborti. Deinde etiam à singulis in me inelamatum cum lætitia, vocibûs ad omnem maris oram circumiectaque iuga montium relatis: Imperet ex Ulyssè, compar Minoi genus!

Momenti intervallô silentium poscebam manu. In quod dum paullatim concionis fervor desinit; Mentor admotus auri: tunc, inquit, renuntiare patriæ?